



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Vitæ S. Ferdinandi, Regis Castellæ Et Legionis, Ejus  
Nominis Tertii**

**Papebrochius, Daniel**

**Antverpiæ, 1684**

Parergon II. De situ & munitione urbis tempore obsidionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42333**

## P A R E R G O N I I.

De situ & munitionibus urbis Hispalensis tempore  
obsidionis mox narrandæ.

129

**P** Rins quam porro pergam Latine reddere textum  
Chronicæ Ferdinandæ, expediet, ad em-  
clarius & facilius intelligendum, præ oculis po-  
nere situm statumque urbis, qualis erat cum eam  
obsedit Rex sanctus, præunte & prælucente  
accuratissimo Hispalensis historiae & antiquitatum urbis  
scriptore Alphonso Morgado, annis ab hinc ferme cen-  
tum impresso Hispali. Hic cum lib. 1. cap. 14. dixisset, quod  
Mauri Hispalenses, progeniti à primis ex Africa  
transgressis Hispaniarum domitoribus Arabibus, eo  
tempore Rege destituti, numquam se voluerunt sub-  
jicere Maurorum Granatensium Regi, utpote igno-  
biliorum & ex Palæstina post ipsos advectorum,  
quamvis diu eos multumque sollicitasset; sed unius  
inter suos præcipui, Axataf dicti, consilio fere &  
auctoritate regebantur; hæc inquam cum dixisset Mor-  
gadu, quam fuerit urbis armis annonæque & omnis ge-  
neris apparatu ad vitam bellumque ducendum instructa,  
colligi jubet ex diuturnitate obsidionis toleratæ.

Describitur  
urbs am-  
plissima.

cincta tur-  
ribus 166.

130 Sed & hæc, inquit, brevis temporis fuit,  
respectu ingentium hujus urbis virium. Etenim am-  
bitu præcipui sui muri complexa spatium non mi-  
nus quam octies mille septingentarum ac quinquæ-  
ginta virgarum, plena erat populo bellicoso ac fe-  
re innumerabili. Muri alti ac firmi, absque rima aut  
ruptura ulla; utpote numquam bello pulsati, in-  
structique turribus per circuitum centum sexaginta  
sex & pluribus. Præcingebat eandem antemurale,  
quale cuicumque magnæ civitati vel solum suffice-  
re ad munitionem posset, cum fossa bene profunda  
ac larga. Portæ ejus principales duodecim (ut de  
posticis



posticis duobus taceam, Alcazarum & Atarazarum (dictis) cum procurrentibus oblique propugnaculis, densatae clavis & ferreis laminis obducta; supra durissima boum tergora, craticulis chalybeis substrata.

131 Quia tamen ex latere uno, atque adeo dimidia sui parte, sex portas habente, securam magis urbem faciebat fluvius Batis, ad cuius sinistram versus Occidentem ripam jacet; ideo ex altero latere sublimiores firmioresque muros turesque cum antemuralibus fecerant de industria, fossam etiam latiore profundioreque, sicut hodie videntur. Sed nihil æque magnam Mauris fiduciam dabat, ut sese inexpugnabiles crederent, quam commoditas subsidii tam hominum quam alimentorum, inferendorum ex famoso illo & fertilissimo Herculis horto (Axarapham ipsi appellabant) qui ex adverso urbis trans flumen incipiens, decem leucas in longitudinem & quinque in latitudinem extenditur, triginta autem leucas suo ambitu complectitur, usque ad oliiveta Nieblensia pertingens; in quo centum millia prædiorum, præter arces vicosque, numerabantur; habebatque in fronte Castellum Trianae nuncupatum, quod ex una parte, qua Hispalim respicit, flumen alluit; ex altera muri cingunt, instructi turribus altis ac firmis, quales nunc quoque conspiciuntur.

132 Hinc porro vix dimidia leucæ horariæ parte distabat perquam munita civitas Haznalpharache, quæ omnes totius Axaraphæ Mauros tuebatur, posita supra jugum montis, ad dexteram Batis infra Trianam, turrata etiam ipsa: quæque una cum castro Trianae clavis erat regionis istius. Castro autem, præter turres, prætensa ex hac parte erat fossa grandis, quæ nomen usque nunc retinet foveæ Trianensis; per quam derivabatur fluminis ipsius brachium, Castello ac turribus ejus circumductum. Ut autem

portarum  
habens ex  
Axarapha  
subsidium

per castellum  
Trianae,

Et portam.

faci-



facilior esset inter urbem castellumque istud communicatio, ligneum supra naves grandes ac robustas pontem straverant Mauri, quem ferreis catenis ipsi castello adstrinxerant. Ut vero naves cis pontem stantes, & occupantes grande illud quod ante urbem protenditur fluminis spatium, ab omni incurfu securiores consisterent, ad Turrim auream affixa erat ingens catena ferrea, quam quoties visum fuerat tendere poterant trans ipsum flumen, affigendam cuidam firmissimo muro, hodie dum manenti in platea quadam Trianensi, ab inde nomen Parietinae habenti.

*Ejusdem  
icon in thea-  
tro Urbium*

133 *Hec Morgadus, tam clare omnia, ut praeter iconographiam urbis atque suburbiorum, oculis ipsis subjiciendam, desiderari amplius nihil possit: hunc autem defectum curioso lectori supplere poterit triplex iconismus urbis Hispanensis, secundum varium ejus aspectum insertus Theatro civitatum orbis, per Georgium Braun sociosque & successores sex libris vulgato Coloniae, ab anno MDXXIII usque ad MDCXVII, scilicet lib. 1. tab. 2. lib. 4. tab. 2. & lib. 5. tab. 7, quarum secunda instituto huic accommodatior est, quia ad plenum aptatur, cum enumeratione ac designatione singularum portarum, praecipuorum templorum, fororum atque suburbiorum. Interest tamen inter hic descriptam antiquam, & ibi notatam designationem recentiore, quod ibi nulla appareant indicia aemuralium, & quod suburbium Trianae, ex quo conspiciendus urbis situs datur, representetur absque exterioribus ab aversa parte manibus, turribus ac fossa, fortasse solo jam equatis; pro quibus ibidem videre est ad caput pontis Trianensis Carceres formidabiles sacrae Inquisitionis, in modum castelli octonis turribus septi, & ultra illos longam secundum fluminis flexum plateam utrimque habitam, usque ad monasterium de Las Cuevas seu Cavearum, Patribus Carthusianis attributum, quod originem suam primum sumpsit circa finem seculi XIV.*

*non valde  
ab antiquo  
discrepans.*

134 *Ultra pergendo, secundum fluminis ejusdem flexum, eadem tabula ostendit Amphitheatrum amplissimi rudera,*



eum monasterio S. Isidori, locisque nomen à Sanctis Brigit-  
 ta & Pontio sortitis; additurque epigraphæ Sevilla la Vieja, <sup>Vetus His-</sup>  
 id est Hispalis vetus. Et sane verosimillimum prorsus est, <sup>palis ubi ?</sup>  
 quod Mauri, qui vix ullam Hispanie civitatem aut ne vix  
 quidem ullam dimiserunt, quam non aut aboleverint peni-  
 tibus, aut alio transtulerint; eam que sub Romanis Gothif-  
 que fuerat Hispalim, à dextero Batis fluminis latere ad  
 sinistrum transportarint. Hoc autem si tenere quis velit, ces-  
 sabit ei omnis questio de sita veteris ante Maurorum ir-  
 ruptionem Cathedralis; eamque frustra requireret aliquis eo  
 loco, ubi etiam illi adificarunt Mezquitam, totius Hispanie  
 speciosissimam: quam victor Ferdinandus in Deiparæ  
 Virginis ecclesiam convertit, & cuius adhuc turris clau-  
 strumque ex parte supersunt. Non desunt quidem aliqui,  
 existimantes veteris Italicæ, potius quam Hispalis, reli- <sup>quam pro-</sup>  
 quias esse amplissimorum, quæ istic adhuc reperiuntur, ru- <sup>cul ab Iticæ</sup>  
 derum vestigia: sed verosimilius est, fideli traditione transf-  
 missum nomen loco isti remansisse. Quod ad Italicæ situm  
 attinet, eum non audeo in Tablada concipere, nedum sus-  
 picari Hispali in nominis appellatione Italicam successisse:  
 paris enim antiquitatis utrumque nomen esse liquet ex Iti-  
 nerario Antonini Imperatoris; Ab Hispali Italicam P. M.  
 VI constituentes. Est autem & alius locus, Talca dictus, in  
 partitione territorii Seviliensis à sancto Rege decreta, qui  
 proprius nomen veteris Italicæ representat: quod tamen  
 non ausim definire, donec partitionis prædictæ liber publici  
 juris factus, plura tali conjecturæ fulcimenta suggerat. Cete-  
 rum ipsa Hispalis antiqua proprium ex re nomen habuerit; si <sup>et undè na-</sup>  
 (quemadmodum docuit Ortelium nostrum Arias Montanus) <sup>men ?</sup>  
 Phoenicium illud est, ex spila vel spala deflexum, quod  
 planiciem sive virentem regionem significat, qualis est  
 omnis ea, ubi Amphiteatri vestigia videri diximus.